

**GEORGIUS ADAMUS**

**Struve/**

**Actus, Consiliarius Saxonicus, Faculta-  
tis Juridicæ in Illustri Salana Ordina-  
rius & h. t.**

**DECANUS.**

---

**Typis NISIANIS.**



Eleberrima in scholis ac foro constitutio Imperatorum Diocletiani & Maximiani AA. & CC. uti duabus constat regulis: ita quoq; duabus circa exceptiones potissimum involuta est difficultatibus, in quibus extricandis veteres & recentiores interpretes valde sunt occupati, adeo ut Jcti magni nominis peculiaribus isthanc legem fuerint dignati commentariis. Prima difficultas in eo consistit, quod à priori regula, qua de crimine capitali s. quod sanguinis pœnam ingerit transigere vel pacisci conceditur, **ADULTERIUM** excipiatur: cum tamen tempore jam laudatorum Imperatorum, autorum istius constitutionis crimen *adulteri* non videatur fuisse capitale: quâ de re latius ac eruditè differit Johannes Seldenus *Uxor Ebraic. l. 3. c. 12.* nec non Jacobus Gothofredus *ad L. 4. Cod. Theodosian. Lib. XI. Tit. XXXVI.* Verùm hæc expedire instituti nostri jam haud permittit ratio. Illud omnino asserendum, quod ea ætate, qua dicta constitutio in Codicem Justinianum relata est, adulterium fuerit capitale: Prohibentur autem transactiones & pactiones super adulterio commisso, cum quandam lenocinii speciem videantur incurere. Hodierno usu transactiones quidem etiam super adulteriis admittuntur: Jul. Clar. quest. 58. num. 11. in fin. non tamen istis magistratui præjudicium quoad pœnam infligendam affertur. Johannes Valerius Valentinus etiam in suis differentiis inter utrumque forum hæc transactiones non reliquit intactas, scribens: *In foro interiori & conscientia prædicta pacta & transactiones, ac remissiones, si fiant ex charitate, & propter Deum, nullo premio interveniente, nec ex ipsis damnum aliquod reip. vel proximo subsequatur, licite sunt. Quinimo si fiant in secreto; puta ab adultero invento in crimine flagranti, licite fieri possunt, etiam pecunia mediante,*  
ut

ut sic redimat vitam suam. Ex parte tamen mariti, nunquam licet in foro conscientiae facere praedictas remissiones propter premium & pecuniam sibi datam seu promissam. Quia saltem peccat venialiter, ob pecuniam turpiter acceptam; non tamen erit mortale; nec ad restitutionem acceptae pecuniae tenebitur. Caveat tamen maritus, ne ex ejus facili remissione ansam adulter accipiat iterum adulterium committendi, confisus ac securus, quod si iterum inveniatur ab eo; poterit similiter se redimere. Censeo enim peccare mortaliter, si fuerit facilis in remittendo ob pecuniam, vel se ultro obtulerit remissioni, petendo ab adultero premium. Quare metum ei ingerat ex corde, & in veritate; mineturque se absque ulla remissione supplicium ab eo, ac vindictam justitiae mediante, assumpturum fore, si iterum idem crimen utcumque committere ausus fuerit. At vero si nudum naturae jus nec rationem aliquam civilem consideres, nihil interesse videtur, an gratis, an pro pecunia maritus de jure suo accusandi transigat: praesertim cum poenam infligere nihilominus magistratui sit integrum. Caeterum quae de veniali & mortali peccato erroneè inseruit Valentinus Theologis examinandum relinquimus, ad posteriorem regulam properantes, qua disponitur, quod in aliis publicis criminibus, quae sanguinis poenam non ingerunt, transigere liceat, **CITRA FALSI ACCUSATIONEM**: quae verba ultima Graeci interpretes, quos etiam secuti sunt quidam latini ita intelligunt, ut excipiatur *falsi s. criminis falsi accusatio*, quae transigendo remitti possit. Ita namque *Lex nostra 18.* in Libris ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ sive Corpore Juris Imperii orientalis à Basilio Imp. inchoato, atque Filio ejus Leone Imp. perfecto, explanantur *Lib. XI. tit. II. l. XXXV. tom. 1. f. m. 787.* Ἐπὶ μὲν τῶν δι' αἵματι ἔχοντων τὴν τιμωρίαν ἐγκλημάτων, ἕξει διαλύεσθαι χωεῖς τῆς μοιχείας ἐγκλήματι. Ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων τῶν μὴ ἔχοντων ἐν αἵματι τὴν τιμωρίαν, ἢ ἕξει διαλύεσθαι, χωεῖς τῆς πλαστογραφίας ἐγκλήματι. τὸ γὰρ τῆς πλαστογραφίας ἐγκλημα, εἰ καὶ μὴ ἔχει δι' αἵματι τὴν τιμωρίαν, ὁμοῦ ἕξει ὅτι τὸ αὐτὸ διαλύεσθαι ἀπλῶς ἐν κανόνισον σεαυτὸν κατὰ τὴν διάταξιν. ὅτι εἰ μὲν τὰ δι' αἵματι ἐπιφέροντα τὴν τιμωρίαν, καλῶς διαλυόμεθα, ὑπεξηρημύξαι τῆς μοιχείας ἐγκλήματι. ὅσα δὲ μὴ ἔχει δι' αἵματι τὴν τιμωρίαν, ἐπὶ τέτοις ἢ ἔρρω-

ἴρρωται ἢ διάλυσις χεῖς τῆς τῆς πλαστογραφίας ἐγκλήματι. Quem textum  
Carolus Annibal Fabrotus Antecessor Aquifextiensis ita vertit: *In  
bis quidem criminibus, quæ sanguinis pœnam ingerunt, transigere licet,  
excepto adulterio: in aliis verò, quæ sanguinis pœnam non irrogant,  
transigere non licet, excepto falsi crimine: nam de falsi crimine, ta-  
met si pœnam sanguinis non ingerat, transigere licet. Breviter igitur ex  
hâc constitutione hanc regulam statuito. De criminibus, quæ pœnam  
sanguinis inferunt, rectè transigimus, excepto crimine adulterii. De  
bis verò, quorum pœna sanguinaria non est, transactiorata non est,  
excepto crimine falsi.* Cum igitur autor Basilicorum Justiniani se-  
culo propior fuerit, verisimile est, eum istius constitutionis, in  
Codicem Justiniani relatæ, sensum quoque rectiùs assecutum esse.  
Approbant & uberius confirmant hanc sententiam illustres non-  
nulli Jcti Jacobus Cujacius 19. observ. 39. Antonius Mornacius in  
d. l. 18. Antonius Matthæus de crimin. L. 48. tit. 19. c. 7. n. 18. urgen-  
tes l. Polla. 2. C. de bis quib. uti indign. l. pen. C. de transact. & in pri-  
mis l. ipse significas. 7. C. ad L. Cornel. de fals. quam legem id ita plane  
evincere scribit jam laudatus Matthæus, ut nulla ratione evitari pos-  
sit. Exceptionis illius causam hanc assignat Mornacius: *falsi labes  
& accusatio tantam inurit infamie notam ei, qui accusatus sit, ut ne  
oculos qs. attollere audeat apud populum, homo deinceps rejectaneus,  
palearis, ficulnus, ominosus, & quem, qs. anathema, aver sentur, qui  
morunt, singuli. Ne quis ergo in ejusmodi dedecora, solitudinesque  
infames incidat, tam humane egerunt Imp. ut concesserint, transigi  
posse, ubi de falsi accusatione agitur.* Alii Latini veteres & recen-  
tiores interpretes allegata superius verba accipiunt hoc modo,  
quod accusatori non liceat transigere de crimine non capitali ci-  
tra falsi accusationem, id est, quin incidat in accusationem falsi &  
pœnam Scti Turpilliani: existimantes hanc explicationem ipsis ver-  
bis textus & propriæ ac non solum in legibus sed etiam apud alios  
bonos autores usitatæ significationi vocis *citra* magis convenire.  
Græ.

59.

Græcam *ἡ ἀφ' ἧς* quod attinet, negari nequit, etiam Græcos interdum per errorem falsas sententias pro veris amplexos fuisse. Non satis firmum quoque fundamentum videtur *ex l. 7. C. ad L. Cornel. de fals. petitionum*: Neque enim in ista specie de falso, sed suspecto s. dubiæ fidei instrumento; multo minus de crimine ipso, sed de re pecuniaria sive damno, quod quis propter ejusmodi instrumentum passus fuisset, transactio inita. *conf. l. pen. C. eod. tit.* Hodie de quocunque crimine, quantum jus accusatoris attinet, transigere permissum est: unde hisce disceptationibus non amplius immorabimur: materiam ipsam exponendam Clarissimo DN. JOHANNI JOACHIMO **Gwandtschneider**/Juris utriusque Candidato eximio committentes: ad quem convertamur, vitam moresque ac studia ejus, instituto majorum, recensaturi. Primam lucem hausit Anno labentis seculi nono & quadragesimo, die XX. mensis Januarii, in eâ Urbe, quæ ædificiorum splendore, ambitus sui magnitudine, elegantia civium, regiminis ad Venetorum exemplum compositi admirabili decore, ac prudentia cæteris imperii nostri liberis Civitatibus facile dubiam palmam faciat, NORIBERGAM signamus: ubi Patrem habuit Virum Nobilissimum Dn. ESAIAM **Gwandtschneider**/Numerosioris Senatus Noribergensis Assessorem, ejusdemque Reipubl. Quæstorem seu vectigalis publici Præfectum, dum viveret fidelissimum; Matrem verò MARIAM MAGDALENAM **Schlichtin**/Matronam pietate & virtutibus ornatissimam, beatè defunctam. A Parentibus imbutus rectis moribus missusque in ludum Patrium literarum elementa didicit imbibitque. Sequentibus annis Gymnasio, quod Noribergæ floret, Ægidiano commissus sub Magistris fidelissimis & cum primis sub admodum Reverendo & Excellentissimo Viro Dn. Johanne **Held** / Rectore id temporis

meritissimo, hodie vero Ebraicæ lingvæ in Acroaterio Ægidiano Prof. Publ. & Diacono ad Spiritum S. vigilantissimo, nec non sub Viro Amplissimo & Clarissimo Dn. Georgio **Widmann**/ ejusdem Gymnasii Conrectore eos fecit progressus, ut successu temporis dignus evaderet, qui altioribus studiis admoveretur. Valedixit igitur Gymnasio solenni Oratione, atque A. M. DC. LXVII. lectiones publicas frequentare cœpit. Audivit autem Dn. JOH. MICHAELEM DILHERRUM, p. m. Ethicam & Politicam tum ibi explicantem, Professore olim hîc celebratissimum, ac Præceptorem nostrum, etiam post fata colendum; Dn. Daniele Wülfferum, Fautorem & amicum nostrum honoratissimum, qui Logicæ, Metaphysicæ atque Physicæ præcepta interpretabatur, Dn. Martinum Beerium, qui Historiam profitebatur & Geographiam, & Dn. Christophorum Arnoldum, qui ad eloquentiam, Poësin ac Græcam lingvam Academiæ Candidatos deducebat. Accessit jam laudatorum domestica disciplina, & Dn. Wülfferi præcipue atque Dn. Arnoldi, qui juxta omnes summam industriam & singularem in docendo fidem peritis censoribus probabant. Præter hæc cum Architecturæ tam militaris, quàm civilis, Geometriæ item & Opticæ studia animo ipsius maxime arriderent, successivas aliquot horas non sine laudabili profectu iis impendit, ductore Dn. Johanne Trostio, scientissimo horum studiorum & multum experto. Feliciter jactis conditionis solidæ fundamentis, LXVIII. seculi hujus anno adibat Academiam Noricorum celeberrimam, statim insinuatus Præcellentissimo Dn. Joh. Paulo Felvvingero, qui in Philos. Pract. ipsi Manuductor fidelis, & duabus Disputationibus *de Rep. mixta*, itemque *de fæderibus* vires periclitanti operam ac præsidium commodavit. Postmodum ad Jurisprudentiam animum applicans excellentissimorum  
viro-

60.

virorum Dn. Joh. Wolff. Textoris, & Dn. Joh. Christoph. Wagenfeilii, Professorum celebratissimorum Juris tum publici tum privati scholas obivit, non tantum ex publica cathedra, sed etiam domidocentium sedulus auditor. Inprimis Dn. Joh. Jodoci Felvvingeri, J. U. D. & Politices Prof. P. *vuõ év áyiois* contubernio atque speciali informatione uti voluit, docentis eximia dexteritate & fidelitate illectus. Audiit quoque incommoda jam tum valetudine laborantem Dn. NICOLAUM RITTERSHUSIUM, nec non Dn. Ernestum Cregelium, non minima quondam Altorfinæ Academiæ ornamenta. Jam flagrabat etiam desiderio externum Athenæum visendi: Itaque anno LXXII. Argentoratum adiit, ubi informatus à famigeratissimis Jctis Dn. Joh. Rebhan, Facultatis suæ Seniore, & Dn. Gerharo **von Störcken** / hoc aurea Bicciana & Jurisprudenciam Sprengeri exponente; altero vero Hodogertam suum interpretante. Præter hoc Magnum illum BOECLERUM, licet per breve tempus ob ejus fata præmatura docentem audivisse, non sine jucunda recordatione memorat. Cæterum noluit silentio præteriri benevolentiam Excellentissimi Dn. Joh. Christoph. Sturmii & Dn. Joh. Reicholt, quorum alter Altdorffii, alter Argentorati Mathesin, cujus studio, *summam illius utilitatem exactius, quam vulgo fieri solet, merito perpendens*, magnopere delectatus fuit, tradebant, à quibus etiam ad interiorem familiaritatem admissus voto suo feliciter potiri valuit. Interea quoque sic ferente occasione Tubingam Basileamque salutavit, præteritaque ætate Lipsiam nostramque Salanam. Proximo abhinc præterlapso Mense, certis motus rationibus, consilioque & autoritate illorum, quos religiosius veneratur, ad nos rediit, finem honestâ quadam coronide laboribus suis Academicis impositurus: Quamvis autem instituti ratio non permetteret, ut diutius hic subsisteret:

QA TA 2226

ret: attamen hoc exiguum temporis bene impendit, ac le-  
 ctionibus publicis cum nostris tum reliquorum ex nobilissi-  
 mo Antecessorum Collegio sedulus interfuit, haud segnius  
 disputantium vocibus attentas & frequentes aures præbendo.  
 Singularem verò deprædicat Excell. Dn. D. Falckneri, Civis &  
 Hospitis sui erga se amorem, consiliis ejus saluberrimis mul-  
 tum se debere ingenuè professus: tandem & Consultissimi  
 Dn. Burchardi Henrici Tilemanni, J. U. D. & Practici studia  
 erga se grate agnoscit. Hoc igitur doctrinæ subsidio & appa-  
 ratu instructus, ab Ordine nostro, ut, in Candidatorum nu-  
 merum receptus ad solennia specimina & examina admitte-  
 retur, modeste petiit, atque consentientibus suffragiis impe-  
 travit; cumque in tentamine themata assignata erudite resol-  
 veret, nec non ad quæstiones propositas apte responderet, me-  
 rito ad reliqua exercitamenta fuit admissus. Proinde peren-  
 dino die Martis horis consuetis ad *d. L. Transigere*. commenta-  
 ri constituit. Cui recitationi ut omnes juris & æqui cultores &  
 æstimatores interesse frequentes velint, est quod officiose &  
 peramanter rogamus. P. P. Jenæ, d. XXVI. Decembr. A. R.  
 S. clb lbc LXXV.

ULB Halle 3  
 001 001 965  


1077







ri regula, qua  
 transigere velp.  
 cum tamen ter  
 stius constituti  
 quâ de re latiùs  
 l. 3. c. 12. nec no  
 XI. Tit. XXXVI.  
 mittit ratio.  
 constitutio in C  
 capitale: Prohi  
 ulterio commi  
 currere. Hod  
 teriis admittun  
 istis magistratu  
 Johannes Vale  
 trumque forum  
 In foro interior  
 remissiones, si fia  
 veniente, nec e  
 tur, licitæ sunt.  
 to in crimine fla

ac foro con-  
 cletiani & Ma-  
 bus constat re-  
 ca exceptiones  
 fficultatibus, in  
 s & recentiores  
 cupati, adeo ut  
 liaribus isthanc  
 mentariis. Pri-  
 it, quod à prio-  
 pœnam ingerit  
 M excipiatur:  
 m, autorum i-  
 fuisse capitale:  
 us Uxor Ebraic.  
 Theodosian. Lib.  
 i jam haud per-  
 tate, qua dicta  
 alterum fuerit  
 ones super ad-  
 videantur in-  
 m super adul-  
 non tamen,  
 ndam affertur.  
 rentiis inter u-  
 actas, scribens:  
 nsactiones, ac  
 o premio inter-  
 ximo subsequa-  
 dultero inven-  
 unia mediante,  
 ut

